

7

13 februari 1589 Prior Lier aan Prior Gr. Ch.

Salutem in domino Jhesu sempiternam. Reverendissime  
ac honorandissime domine pater prior Generalis:  
miratur plurimum R.V. quod parum fructus ex bonis  
carthusie nobis commissis recipiatis, neque intel-  
ligere potest R.V. nostras inexplicabiles miserias  
in quibus hactenus a plurimis annis fuimus et adhuc  
sumus: nam a plurimis annis nihil aut valde parum  
de nostris neque de vestris bonis recepimus, neque  
hoc tempore recipimus. Alia enim bona tam vestra  
quam nostra ab hereticis et Regis majestatis adver-  
sariis occupentur pro fisco. Alia inundatione per-  
cunt. Alia devastantur tam a nostris quam ab hereticis  
militibus. Cetera absque cultore manent et in soli-  
tudinem sunt redacta. Si mihi centum lingue essent  
non possem R.V. explicare nostras communes miserias:  
pagi omnes a militibus sunt depopulati neque amplius  
ibidem hospitari possunt: nunc in parvas plerum-  
que civitates intruduntur ut ipsas quoque ad deso-  
lationem et desperationem perducant: ni nostra  
civitate Lyrana que satis parva est, sunt duodecim

vexilla militum ac miseri cives ad extremam inopiam  
rediguntur; in nostro quoque monastrio habemus  
sustentare unum capitaneum qui habet quinque equos,  
octo canes, quatuor famulos et multos alios fami-  
liares et quod nos capere oportuit in nostrum  
usum isti intercipiunt, et sic a multis annis tri-  
bulati et consumpti sumus a diversis militibus.  
Nisi Dominus providerit sua maxima clementia, nos-  
tram parvam familiam diutius sustentare non  
poterimus: domus quoque nostra ex qua quinque  
annos exules fuimus, multa restauratione indigit:  
tamen que maxime erant necessaria ad domus con-  
servationem reparavimus: et domus nostra omnis  
est integra ab edificiis exterioribus, sed interius  
fenestre vitra et huiusmodi sunt ablata, et omnia  
utensilia et mobilia et ornamenta domus et ecclesie  
Conqueritur etiam R.V. ut percipimus, de persona  
nostra, quasi parum cure nobis fuissent bona domus  
Carthusie nobis comissa, cum tamen maximo nostro  
periculo atque multis laboribus pecunias quas de  
recepitis misimus et adhuc restamus acquisivimus

et servavimus. Misi anno 1585 centum libras flandricas. Item anno 1586 centum libras: sunt mille et ducenti floreni que apud nos magna somma estimatur: has misi per patrem Visitatorem nostrum priorem Bruxelle, et restamquam adhuc debemus primo quo poterimus tempore, volente et annuente Domino Deo, R.V. fideliter persolvemus. Sed si R.V. nobiscum novisset calamitatem nostram, dimitteret satis scio nobis universum debitum.

A multis annis per milites sumus destructi: nōvissimo anno autē devastationem monasterii nostri, habuimus in domo nostra alendos per integrum annum quinquaginta milites quibus omnia alimenta procurare debuimus atque omnibus nostris consumptis, spoliatis quoque omnibus utensilibus ac mobilibus, omnes nos expulserunt et eiecent extra civitatem, non multum abfuit quin nos omnes trucidassent.

Noster quoque procurator anno 1581 subita morte defunctus, habebat a nobis in custodia mille et quingentos florenos, et nescimus cui hanc sommam custodiendam reliquerit. Habemus quidem suspicionem

Johannes Ronsche  
ALM 144

sed rei veritatem nescimus; timendum valde ne  
hec somma nobis perierit, nam usque in presens  
nihil certi inquirere potuimus.

Anno 1586 et 87 in restauratione aggerum propre  
Antverpiam per hereticos confractorum, etiam mille  
quadringtonos florenos expendimus: et pro fru-  
mento quia maxima erat annone caritas etiam plurima  
expendimus, et singulis annis plura damna expectamus.

Has predictas ac plures alias rationabiles causas  
R.V. scribimus, quo melius R.V. intelligere poterit  
calamitates nostras in quibus hactenus fuimus et  
adhuc sumus: neque nostre negligentie aut socordie  
imputandum quo minus domni Carthusie satisfeceri-  
mus de receptis.

Computavimus tamen cum V. Patribus Valencenarum  
et Bruxelle ad hoc deputatis: de omnibus que ex  
receptione: et nostris debitibus domni Carthusie  
debemus: de redditibus vero multum postergatis  
constituerunt et ordinaverunt, ut tres solverem  
annos: quod nobis non ita bene placuit. Nam

5

intentio nostra erat rogare R.P.V. ut plenarie  
nobis has restantias dimitteret et sommam capi-  
talem paulatim solveremus sine ulterioribus  
redditibus solvendis.

Domno nostra Lyre habuit in pago dicto Kiel proprie  
Antverpiam diversos redditus super certos domes  
et fundus, ex quibus singulis annis recipere  
solemus, mille et quingentos florenos, atque de  
hic redditibus nihil a longo tempore recepimus,  
neque quicquam amplius in posterum speramus.

Nam omnes domus funditus sunt everse et fundus  
vacuus et inutilis manet et hec solent esse preci-  
pua bona domus nostre, et amisimus non solum de  
his redditibus omnes restantias sed etiam quod  
precipuum est omnimodam habens de his desolationem.

Sed redditus quos tenemur solvere domni Carthusie  
integri manent, licet restantias dimitatis et non  
amittitis principale scilicet sommam capitalem,  
que omnia R.P. considerare debet.

Cetera omnia pleraque bona nostra, villegia, prata,

pascua et cetera manent inculta et destructa,  
 nescimus nisi D. Deus omnipotens sua **elementia**  
 providerit quid tandem agens cum parva nostra  
 familia.

Guilielmus Adriaanu  
 Brouwerhaven  
 H.F.M. 37

Misit R.V. ad nos Dominum Guilielmum in nostrum  
 adjutorium et procuratorem, quem leti suscepimus  
 et gratissimus nobis eius adventus fuit, atque  
 immensas gratias agens R.V. quod nobis ita de  
 ipso providerit. Sed unum est quod doleo: quia  
 nihil operis iniungere possem neque aliquid de  
 bonis tam vestris quam nostris sit recipiendum.  
 Neque extra portam civitatis sine maximo periculo  
 egredi possumus, et non patet nobis accessus ad  
 loca ubi nostra bona sunt sita et si pateat in-  
 culta inveniens lolio ac tribulis opera. Ipse  
 nunc presens videt et nobiscum experitur ac sentit  
 calamitates inerrabiles in quas incidimus.

His paucis finem imponentes precamur R.P.V. felici-  
 citatem anime et corporis et sedium Dei altissimi  
 assistricem Sapientiam ut tecum sit et laboret ut

sciat R.V. quid acceptum sit coram altissimo omni tempori. Gaudemus omnes in his partibus: precipue D. Visitator noster et ego qui aliquando vidimus faciem R.V. cum essemus in carthusia. R.V. per gratiam sancti spiritus electum in R.P. nostrum generalem, cui etiam in omnibus usque ad aras cupimus obedire: Rogantes ut nostram desolatem provinciam semper commendateam habere dignetur et precipue domum nostram Lyranam. Bene Vale pater in Christo Reverendissime ac colendissime.

Vre dignitatis filius in omnibus obedientissimus atque obsequiosissimus.

fr. Anthonius a fine Prior domus Lyre ad voluntatem et beneplacitum R.V.

13 februarii 1589 ex Bruxella.

Salutat plurimum R.P.V. charissimus noster procurator dominus Wilhelmus et ceteri omnes fratres nostri Lyrani

Adres: Reverendissimo in christo P. D.

Priori Maioris Carthusie

Carthusie.